



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

Pœnitentia Manresæ. Cap. III.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**

velit, ostendit. Inter hæc suis se vestibus IGNATIVS exiit, omniaque ad ipsam interulam homuncioni attonito relinquit. Illorum vicem, pingui lacernâ, quam eam in rem nuper coëmerat, ante diem octauum Kalendas Apriles induitur. Hac metamorphosi mirè quàm lætus, illicò ad templum festinat recurrere, atque totam deinde noctem pro ARÂ VIRGINIS excubare, in morem veterem peruigilio initiandus. Ibi erectus modò pedibus insistere, modò supplex genibus niti; & largis oculorum imbribus madens, in VIRGINIS fidem clientelamque se dedere. Ne quâ verò agnoscat, gloriæ fugiens, summâ luce maturat proficisci.

IGNATII *pœnitentia Manresa.*

CAP. III.

14. **O**PPIDVM est in Illergetibus Manresa, aliquot passuum millia à monte locus, cuius ijs qui Barcinonem petant: illuc ire insti-

instituit **IGNATIVS**, inundatus  
 lætitijs, & eo ornatu, de quo supra  
 docuimus, mendicantis fortunæ  
 tunicâ, & fune cinctus, & baculo  
 armatus caput, alterumque pedem  
 nudus: nam alterum, quod à re-  
 centi vulnere vexatus interim in-  
 tumesceret, placuit indulgenter ali-  
 quamdiu habere. Ita profectum,  
 haud multò post citato gradu cur-  
 sor assequitur, atque ab eo sollici-  
 tē suāsne vestes homini cuidam  
 fordido donarit, scitatur: eum, quod  
 abiectis centonibus, repentē nitere  
 cœperit, neque plebeius animus in  
 purpurâ agnoscere se voluerit, Ma-  
 gistratui suspicionem auxisse, fur-  
 tique reum tantisper in vinculis  
 iam attineri. Illacrymauit hoc nun-  
 tio copiosè **IGNATIVS**, sese mul-  
 tis incusans: & hominem utique  
 iam infelicem ratus, cuius etiam  
 beneficia forent alijs damnosa; ad  
 extremum, quò pauperis innocen-  
 tiam absoluat, factum confitetur.  
 Quis verò & cuiatis esset, aut vnde  
 locorum proficisceretur, rogatus,  
 B 2                      nullo

nullo se vñquam indicio prodidit. Satis nimirum habuit, si, defenso paupere, insidias gloriæ falleret, suiq̄ue contemptu mortalia triumpharet.

15. Manresam vt ventum est, primum IGNATIO fuit, ad ædes hospitaes diuertere, eas, quibus tutelâ præest S. Lucia. Ibi specus inter annis crepidines, hic tu modico in profundum patebat: circum vñdique vepres, eoq̄ue haud facilis accessu. Intima loci terra cum primis & horrida. Ponenda hîc rerum meliorum incunabula fuere, & nempe animus inter plebeiam egestatem aliquando experiendus. At incredibile memoratu est, quàm sese afflictere id loci, & quantis rigoribus corpus atterere laborarit; earum maximè voluptatum reliquias persecutus, ad quas auidiùs olim adhæsisset. Vetus illi consuetudo fuerat, capillamentum curiosius struere, comamq̄ue velut in statione disponere, reliquo item corporis cultu vsque in vitium gaudere.

dere. Illam tunc vt elegantiam vindicaret, detecto, quod diximus, capite, crinibus turbidis atque impexis horrere, & ob barbam atque vngues prolixè deformes, despiciatui esse ceteteris concupiebat: tum deinde lectulum somnumque humi capere, noctem pleramque vigilijs lacrymisque exigere.

16. Ad hæc plagis ter quotidie corpus incessere, septemque ipsas horas flexus inter preces ducere: perinde quasi iugem corpori iniuriam facere, id demum foret, animi imperio vti. Per dies prætereà singulos, siue diuina fierent, siue vespertinis vltimisque precibus operadaretur, adesse, cum egregiâ quadam voluptate perseuerabat. Scilicet animus iam illi ad cælestia capienda facilis cereusque erat, & quem sacra carmina miris suauitatibus demulcerent. Victus lautitias rebatur, atri durique panis crustulum, quod pro stipe acceptum, ipse famelicus interdum non sæpius semel cum fontanâ sumebat: reli-

quo, & quidem meliore, quod obuenisset, in pauperes erogato. Quâ de re cum eum Agna Pasqualis fortè obiurgasset; respondit, indecorè facturum, qui Christi clientulis viliores, quàm sibi, annonam reseruaret. Hic ieiunij tenor, si diem Dominicũ exciperes, IGNATIO perpetuus fuit, vt interdum pane solo cum aquâ vesceretur: quamquam sæpè his etiam ipsis biduum totum triduumque abstinent, notabili virium defectu.

17. Et euenerat quondam Manresæ, vt plusculis diebus nusquam conspiceretur: quod cum amici fieri præter morem crederent, veriti sunt, ne quid homini sequius accidisset; eaque propter solliciti, requirendum censuere. Et ecce, longo post tempore in modico sacello reperiunt humi abiectum, viribusque iam æquè ac sensibus ex inediâ destitutum. Perterriti, continuo suppetias occurrunt; & ijs, quæ corpori erant confirmando, ex promptis, ægrè demum restituant.

tuunt. Sed hoc deinde cum sæpius accideret, IGNATIVM pro amicitia rogant, ne in eo rigore progredi porrò obstinaret. Quibus suaviter ille, Quæso vos, inquit, hoc agamus; & donec animus, depulso discrimine, in tuto collocetur, sinamus corpori huic ægrè esse.

17. Verùm per hæc tam pertinacis incepti studia, breuè se ita maceravit, vt iuueni nuper robustissimo, formam crederes omnem gratiamque defluxisse, neque vires, nisi animæ retinendæ necessarias, superesse. Quo toto tempore dolis insidijsque clam grassati inferi, denique cœperunt mutatâ personâ palàm velitari, æquè irritò successu. Nam iuuenem induerunt, vultu habituque non indecorum: qui vt iuxtâ adstitit, oculis in IGNATIVM coniectis, moueri se miserabili eius formâ fortunaque simulabat. Et ingressus pedetentim, mollibus argumentis asperū vitæ genus insectari, eò peruenit, vt IGNATIVM, si porrò pergeret, haud

dubium sui homicidam insimular-  
ret. Daremus tamen, vt citra mor-  
tis periculum in se sæuiret; certè  
autem valetudine diminutâ, nihil  
virium ei, ad Dei seruitutem, quam  
præ se ferret, remansurum. Addidit  
verbis, quos conuenerat, colores,  
non imperitus fallendi artifex, ni  
cælestis IGNATIVM tutela mu-  
nijset: qui deprehensus insidijs,  
nullo veteratorem adspectu digna-  
tus, ad Marianum facellum illicò  
refugit; atque ibi lacrymans, in-  
cepti rigoris constantiam instaura-  
tis desiderijs confirmavit.

19. Ceterùm, vt corporis illum  
incommoda attenuarint, curæ ani-  
mum grauiores infedere; quas in-  
gentes atque intempestiuas, nescio  
quis de nihilo metus sufficiebat.  
Tametsi enim nihil ille pensius  
pridem habuit, quàm vt vltimam  
vsque pueritiam accuratâ confes-  
sione lustraret, immodicis tamen  
etiamnum angoribus carpebatur:  
neque vlla aut precanti quies se  
ostendere, aut per ieiunia ceterum-  
que



que vite rigorem, turbulentia mentis potuit componi. Ergo cogitationum æstu, velut longi doloris impotentiâ, collisus, in terram incumbebat, nihil vsquam reliqui videns, quâ porrò euaderet. Tandem cibum omnem potumque decreuit obstinatè reijcere, quâ citra periculum posset, donec sua menti malacia redderetur. Septem adeò dies ea tenuit inedia, vt nihil interim, neque cœptæ consuetudinis in corpore vexando remitteret, neque viribus tamen plus solito deficere-  
tur. Insolentiam facti rescivit denique Sacerdos, cui vni arcana credere sua consuêrat. Is, ne in consilio perseueraret, intercessit. IGNATIVS non insuper habendum illius imperium ratus, paruit haud grauatè monenti.

20. Hanc eius obsequelam tanta continuò tranquillitas excepit, quæ eximendis olim aliorum turbelis mirificè valeret. Neque temerè postea fuit hoc morbo tam impeditus aliquis, tamque obse-  
sus,

sus, quin illo absolueretur, ut pri-  
 mum IGNATIVM consulisset.  
 Et succedere mox ostenta cæle-  
 stia, quorum compluria post me-  
 morabuntur: ut planè subierit illud  
 Vatis dicere: *Secundùm multitu-  
 dinem dolorum meorum in corde  
 meo, consolationes tuæ latificave-  
 runt animam meam.* Illud hinc in-  
 terea suffecerit adnotasse, quod sa-  
 tis compertum est, per eos dies,  
 quibus Manresæ hospes degebat,  
 ei plus tricies, aut Christum, aut  
 Matrem eius Virginem, inter pre-  
 ces apparuisse: magnaque suavita-  
 te delibutum, ad arcana cælestia  
 eminus cognoscenda, & meditan-  
 dos Christi dolores, piè excitasse.  
 Unde memorabile in primis ha-  
 betur, quòd qui rebus fluxis ad id  
 locorum impensè deditus, ac mili-  
 tiæ quàm litteraturæ scientior fuisset,  
 (nam huius, præter rudimen-  
 ta, nihil attigerat) tantâ rerum cæ-  
 lestium scientiâ pollere cœperit,  
 quantam, nisi de cælo haustam,  
 nemo habuisset.

21. Per eos dies libellum asce-  
ticum aggressus est (quem EXER-  
CITIORVM dicimus) lucubrare,  
arcanae sapientiae feracem, & cui  
omnis ordinis mortales multi suum  
profectum in acceptis retulere; ne-  
que adeò, si suis momentis aesti-  
metur, eum à tirone, qualis IGNA-  
TIVS tunc erat, scribi potuisse cre-  
das. Libellum Paulus postea III.  
gravi examine recognitum, pro  
auctoritate suâ probum censuit,  
ratumque esse posteris iussit, ac re-  
scripto in annum M. D. XLVIII.  
diplomate, omnes ad eundem se-  
dulò utendum inuitavit.

22. Ceterum IGNATIVS, qui  
in hunc ferè modum vires opef-  
que corporis attriuerat, tot novissi-  
mè pugnis confectus, non potuit,  
quin ultimi morbi pericula arces-  
feret. In quibus morbi iniurijs  
compertum est, quantum virtuti  
etiam externae vbiuis gentium de-  
ferretur. Quoad enim decubuit,  
publico sunt sumptu omnia ei pro-  
lixè suppeditata: simul & priuata  
mul-

multorum studia exarserunt, qui viri moribus permoti, suis pro se quisque in illum obsequijs certarent. Profuitque multis, adijisse; quippe spectatis ibi non vulgaribus documentis, cum audirent **IGNATIVUM** de virtute perorantem; multi continuo vitæ suæ rationes mutarunt; & imitati vnus exemplum, Sacra frequentare religiosius, quam ad eum diem fecerant, studuerunt; tantâ rerum morumque conuersione, vt iurati prodierint testes, qui affirmarent, in ijs locis, prius certè quam **IGNATIVUS** venisset, vix vllam diuinorum notitiam apud incolas valuiffe. Visuntur eius rei præclara ibi vestigia, & supra sexagesimum abhinc annum, indigenis hodieque oppidò recentia putantur: qui ad ædem S. Luciae, vbi suum & pauperes hospitium, & **IGNATIVUS** sanctioris vitæ rudimentum habere, prouisunt, venerabundi, & hospitis olim sui patrociniò læti.

23. Ac ne qua locus absolefcat,  
pila

pil  
ris  
fur  
Eit

TR  
IE

tur

fac

sus

qu

qu

arr

tis

cili

opu

iun

tan

na

mo

Ie

2

tud

TI

pila ibi lapidea spectatur, rei veteris elogio inscripta. Quod mihi visum Latinis hinc litteris exscribere. Eius sententia hæc efficitur:

IGNATIO LOIOLAE, BERTRAMI F. Cantabro, Societatis IESU Conditore: quem annos natum XXX. cum pro patria fortiter faceret, eodem tempore & belli iussus afflixit, & propitia salus erexit: quiq; idem tam castitatis tuenda, quam Palaestina visenda cupidus, armis Magna VIRGINI dedicatis, tunicamq; talarem, & vestem cilicinam indutus, coepit hinc rerum opumq; inops lacrymis, precibus, ieiunijs, priorem seu militiam, seu vitam damnare; hoc marmor, ob aeterna viri merita, & miranda sanctimonie exempla,

P. C.

Io. Bapt. Cardona, Valentinus  
Vichi Ep. & Tort. electus.

24. Ab eâ, quam diximus, ægritudine nondum planè se IGNATIVS collegerat, cum reputare apud

apud animum suum institit, quî in consuetudinem, vi morbi intermissam, postliminiò rediret; pergeretque in corpore exercendo pericula vilia habere.

25. Sed ingentibus animis vires obnuntiabant. Nam continuò eandem inualetudine secundum tertiumque pessum datus, atque à stomachi presertim iniurijs miserè impeditus, cedere demum insultanti fortunæ cogitur: & quod dudum monuere amici, vt mitius in corpus suum ipse consuleret, exoratus, in eorû auctoritate futurum se ostendit.

Ita corpori tegendo ac defendendo frigori, duplices, rudi opere, & colore Veneto, tunicas admisit: indidem & cucullum, capitis vile tegmen, recepit. Dubitasset, vestimêto se ille, an ludibrio magis induisset.

IGNATIÏ iter Romam, & Ierosolymam. CAP. IV.

26. **P**ROXIME annum in eo iam Poppido IGNATIVS substiterat, cum interea loci opportunum